

runt, ut eo argumento dignosceret, quo applausu Moliniana Dogmata Academia Parisiensis exciperet. Id agere tulit Eminentissimus Princeps, tametsi rei gestæ feriem necdum sciret. Episcopi levitatem, & audaciam despexit; immo in Jesuitas converso sermone, illos severioribus verbis habuit, quod inaudiam petulantiam probare, atque etiam commendare viderentur. Verum obstupuit longe magis, dum integram Episcopi, & Academia agendi rationem aperuit Franciscus Pegna; censuræque, monendum Sylvanensem Episcopum, ne similia tentaret in posterum, unde hæreticis obloquendi datur occasio: Academia vero gratulandum, pro sua in Sedem Apostolicam observantia singulari, quam hac sua agendi ratione testata erat.

Hinc porro aequi rerum æstimatores intelligent, quanta religione, ac fide iudicium Apostolicum exceperint Theologi Parisienses, qui vel sola imminente Molina damnationis fama permoti, in Clementis VIII. vota sua jam sponte veniebant. Immo jam quodammodo venerant, cum in ea intruenda quodammodo, plurimam partem habuissent viri ex eorum gremio meritissimi, Crellius, & Boffutius; quorum primum, ut Mabillonius, de Ecclesiastica antiquitate benemeritus, observat in itinere Italico, Schola Sorbonæ ad Sedem Apostolicam pro Auxiliorum Congregatione delegaverat, veluti sua de controversis inibi questionibus sententia publicum obsidem. Quo enim adversus Molinæ novitates animo fuerint eximii illi Parisiensis Academiae Proceres, ex datis pro Censorum officio iudiciis, atque suffragiis compertum, arbitror.

Binis Duvallii Litteris fidem derogat Questionum Auctor. (1) Verum hanc illis locupletissimam facit Clarissimus Pegna, in cuius Commentariis non modo Latine reddita, propriaque meritissimi Præfultis manu excerpit legantur; immo variis ejusdem notis, & Appendicibus illustrata, quæ rerum, Parisiis, ac Romæ gestarum, series enarratur. Prima ad marginem prioris Epistolæ scripta est manu propria, atque Hispano idioma te, in hac verba: Por el fin del año 1601. dize en Roma el Obispo Sylvanense, que en Paris la Universidad defendia la opinion del Molina. El Doctor Crell, que estava en Roma, serbio sobre esto a Paris: y se le respondio lo aqui contenido: que no era verdad, que se defendiese alli Molina. Tum sequitur Epistolæ titulus, eadem Littera inscriptus: Transumptum ex quadam Epistola, Gallice scripta die 20. Januarii ab A. Du-Val, Doctore Sorbonico, Theologiam publice proficiente, ad Dominum Crellium, Doctorem Sorbonicam, Romæ commorantem. Reliquæ appendices alteri Epistolæ appinguntur eadem clarissimi Præfultis manu. Una quidem titulum refert: De conatibus Episcopi Sylvanensis, disputantis Lutetiæ, & proponentis Thefes contra efficaciam Gratia. Altera paucis enarrat, quid a Jesuitis Romæ tentatum apud Cardinalem Baronium, hoc pacto. *Has Theses die 23. Augusti Jesuitæ duxerunt ad Cardinalem Baronium, ut eas Pape presentaret: qui primum id facere recusavit, sed deinde accepit, & detulit ad Papam SS. Clementem VIII. die 24. Augusti 1602. Baronius agere hoc tulit: audaciam Episcopi est miratus: Jesuitas arguit, qui ex eo facto videbantur probare gesta per illum Episcopum, & quasi insinuare, quod omnia gesserit, eorum suasis. Sic rescripsit mibi idem Dominus Cardinalis supradicto die 24. Augusti. Quibus omnibus subiecta est tumulariæ Epistolæ adumbratio, eidem Cardinali Ba-*

ronio inscripta, ejusdem præmissio titulo, in hunc modum.

Memoriale, o Polizza mandata da me Francesco Penna, al Sign. Cardinale Baronio, a di 25. di Agosto 1602. super facto Episcopi Sylvanense.
Sotto il sigillo dell'istesso secreto, che vostra Signoria Illustrissima accennò bieri, per maggior intelligenza del fatto del Vescovo Sylvanense, m'ha parso mandarmi copia d'un Capitolo di lettera, che sopra di ciò si scrive da Parigi. Dal quale vedrà vostra Signoria Illustrissima, che nè la Sorbona volse sottoscrivere quelle Conclusioni, nè li parve, per non fare rumore, e causare maggiore scandalo, negare la disputa al Vescovo; alla quale, essendo Vescovo, non era tenuto. E si vede, che fu ato studiosamente procurato, e messo in esecuzione in quella Università, per introdurre quella setima, come similmente hanno procurato fare in Lodovica, Duaco, Salamanca, Alcalá, & ubique terrarum. Verum expediat, admonere Sylvanensem, ut ablineat a similibus actibus, unde facile possit in Regno, jam perturbato, excitari major perturbatio, & prætori occasio Hæreticis majora audiendi, Illustris. Dominus, pro sua prudentia, & caritate, & zelo in Dei Ecclesiam considerabit. Sorbona autem agende videatur gratia, eo quod se tam prudenter gesserit. A 25. di Agosto 1602. di Vostra Signoria Illustris, & Reverendiss. servitore humilissimo.

FRANCESCO PENNA.

Hæc contumacem, ac refractarium disputatorem fati, opinor, coercerent. Ut enim Clarissimi Pegna manus Romæ cognita est, ubi Rotæ Auditorem diu egit, Librosque non paucos exaravit, scripturam conferre, atque probare, facile erit.

Que porro, ad elevandam Epistolarum Duvallii fidem, regevit importunus Cavillator, usque adeo fatilia sunt, ut ne trionem morari possint. Harum, inquit ille, nullam in Diario mentionem habet Franciscus Pegna. Ita quidem: sed habet in Commentariis, ac certior, qua potest, fide. *Has non (subjungit) Jesuitis, Duvallii suffragio ab annis plus minus quinquaginta præfidentibus, obsecit. Quid mirum, cum nondum publici juris essent, sed situ putres in tabularii angulo delitescerent? Duvallius, inquit tandem, Prædeterminationem physicam, quam videtur bis Litteris comprobare, editis Theologicis Libris, oppugnat data opera. Non repugno: at post annos a datis Epistolis triginta-quatuor, (2) Theologiam suam evulgavit. Nec mirandum, si tam longo temporis intervallo novos sensus induit, aliasque opiniones ebibit; eodem argumenti genere iteratis, ut præmonet, (3) vicibus pertractat. Hoc tractatus de Gratia, & Justificatione, Apresso responso, & ex consequenti coram diversis auditoribus habuit.*

Jam quod idem Molinians Disputator, Cellotii sui suffragio nixus, fabulatur, Academiam Parisiensem, in Consultationem advocatam, quo tempore Auxiliorum Controversia ferretur, causam Societati adjudicasse, ipsis etiam legitibus rifum elicit. Ecce enim ludum non dabit Cellotii de Hierarchia scriptus Liber, tam perditis dogmatibus infarsit, tam multis censuris iniustus? Quamquam si foret Auctor ille doctrinae integer, iisque, de quibus scribit, temporibus proximus; ex una Jesuitæ conditione, ferendi suffragii iure devolutus esset. Cellotium mendacii arguunt Academiae tabulae, quibus nihil hujusmodi quidem inscriptum est: arguunt laudatæ mox, & a falsi suspi-

suspicionem vindicatæ, Duvallii Epistola: (1) Arguunt Clarissimi Parisiensis Academiae Magistri, Crellius, & Boffutius, qui Sorbonam, Apostolici Iudicii expectatione suspensam, ab examinandis Divina Gratia Controversiis temperasse, Clementi VIII. denunciarent die 29. Decembris 1601. Arguit ejusdem Boffuti Censura anno 1606., iubente Paulo V., adornata, de qua nobis Libro quarto prolixior sermo erit; cujus hæc conceptissima verba sunt, Cap. 2. *Nostri facultas Parisiensis, rogata a Patribus Societatis, ut de Prædeterminatione inquireret, ac illam Censura notaret, id facere recusavit propter obedientiam, quam profiteretur, se maximam debere Sanctæ Sedis, iussu cujus sciobat, questionibus has controversias examinare.*

Non me fugit, fecutus inde temporibus, privatos nonnullos Parisiensis Scholæ Magistros, Gamauchum, Harbertium, Hallerium, Hambertium, procul a Thomistica Scholæ placitis abiisse. Verum non id agit in præsentia: fed quid universus Ordo, quo tempore his illa magna moveretur, in commune sentiret, quamve rationem teneret, ut suam erga Romanam Sedem religionem testarentur. Dicam tamen obiter, quod res est. Uno excepto Gamauchæ, qui Scientia-Media caput arigit, reliqui in unam physicam Prædeterminationem, generatim acceptam, & ad ipsos peccati actus prolata, declamarunt: qua sublata, Prædeterminatio nullis nixa meritis, Gratiæ se ipsa efficax (qua duo in hisce Congressibus ex Instituto quærebantur) æquo iure defendi possunt; potissimæque Moliniana doctrinae capita, in controversiam adducta, confutari. Habertius physicam Prædeterminationem, generatim quidem acceptam, in Græcorum Patrum Theologia male habet: at in edita contra Janfenium Lucubratione probabilem, ac fide tutam agnoscit, modo ad Gratia ordinem transferatur. Immo anno 1630. una cum aliis octo Parisiensis Scholæ Magistris, Gibeoni Librum De libertate Dei, & creature, magna cum laudis præfatione approbaverat; (2) qui in Gratia physice prædeterminante statuenda, & Scientia-Media eliminanda, totus erat. Hallerius, tertio loco positus, non magnus ille Hallerius est, Ecclesiasticæ Hierarchiæ vindex contra Cellotium Jesuitam, qui tantas in causa Janfeniana partes habuit; (3) sed alter Dialecticarum Institutionum Magister, priori minime conferendus. Hambertius (bona pace dicam) in statuenda sententia corhono versatior mihi visus est. Etenim, statim atque docendi munus aufpicatus est anno 1616., primisque Polemicæ Theologiæ Cathedram, a Ludovico XIII. dotatam occupavit, Gratia se ipsa efficacem suis auditoribus tradidit; servanturque anno 1652. ejusdem dictata scripta, & ab illius ævi scriptoribus laudabuntur, in quibus ad Questionem 3. Primæ Secundæ, disp. 9. art. 1. hæc assertio itarebatur, multisque munebatur argumentis: *Gratia efficax excitans, præcise, proprie, & formaliter loquendo, est efficax in actu primo ex ipsa ratione sibi intrinsicæ, & non ex aliqua scientia. Non abimiliter Quæst. 1. disp. 9. art. 4. Scientiam-Mediam, uti a Sempelagianis inventam, explodebat. Tum lapsu temporis, Prædeterminationem meritis, Scientia-Media lumine exploratis, innoxiam tradidisse, fertur: quam tandem verius, ultimique ævi cardinem præpens revocaverit; ingenue professus, hanc summæ Divinae Gratia Magistris, Paulo Apostolo, Augustino, ac Divo Thomæ repugnare. Cujus retractationis testem anno 1652. laudatum invenio Jacobum Santabovium, Regium in Sorbona Pro-*

fectorem; non tunc quidem murum, aut ævo defunctum, quales laudari ab impostoribus solent, sed ævi, ac sensuum integrum. Verum non sunt illa hujus otii, & instituti.

CAPUT XXVII.

Tortia pro impedienda Definitione Apostolica Jesuitarum ars; Concilium Generale convocari volunt, ubi de controversis dogmatibus iudicetur. Pontificem a S. Augustini lectione detertere moliantur.

Fuit hæc olim Pelagianorum astutia, qui Romanorum Pontificum Definitionibus appetiti, ad Concilium generale provocantur. An vero, inquit Augustinus lib. 4. ad Bonifacium, capit. num. 34. congregatio Synodi opus erat, ut aperta pertinacia damnaretur, quasi nulla heresis alligando sine Synodi congregatione damnata sit; cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis existeret, multoque sint, atque incomparabiliter plures, que ubi existerent, illic improbari, damnarique mererentur; atque inde per ceteras terras devotande innotescere poterunt? Verum istorum superbia, que tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velis, sed potius in Libro Arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeant, saltem commovere conantur.

Petulantior nihilominus videbatur insolens illa ad Concilium generale provocatio, quam ut aperta fronte, erectoque supercilio a Societate tentari posset. Sufurrones itaque tacite submiserunt, qui vagum illum celebrandi Concilii morem distemnerent, quasi hæc una finiendæ Controversiæ via suppeteret. Eos inter audacior prodiit Hispanus quidam, nomine Roa, (4) dignus urgendæ machinationis artifex: Vir perinde ignarus, & audax, ac Societatis defertor, qui non ita pridem multiformis ingenii specimen dederat, dum ex Hispania Romam profectus, quam ibi jurisdictionem Regiam scripto defenderat, eandem novis lucubrationibus impugnavit. Sic quippe mutatur aliquibus cum caelo animus.

Partem eo facinore versipellis animi famam novæ hujus machinationis tractatione cumulavit ineptissimus sciolus. Ab anno scilicet 1599. huic feliti palam inferre cepit, porrecto supplicii libello, quo ex viginti fidei dogmatibus, adversus Pelagianos olim assertis, universam Molinæ Concordiam confutatum iri, confidebat. Verum, lecto libello supplicii, (5) nihil gyrovago viro responsum voluit Clemens VIII. Nec tamen ille despondit animum; quin porius despectam, neglectamque minervam rursus acuit, nova Summo Pontifici lucubratione data, qua pristinum institutum urgebat, & ad mutuum cum Prædicatoribus, ac Jesuitis colloquium admitti postulabat. Repulsum secunda vice passus est. Tunc despectum se sentiens, in Societatis studia rediit, non sine emuncti marsupii suspitione, suaque illi devovit officia.

Cœpit igitur ineptus blateros hoc potissimum anno 1601., Concilii generalis necessitatem inimicioribus insurrerare: mox, sumpta fiducia, rumorem latius diffudit. Pontificem in hesitandis fidei controversiis errori obnoxium: Censores pro rei dignitate minus eruditos, institutum examen non satis maturum, palam afferuit: unamque propterea generalis Concilii viam occurrere, qua ex-

(1) Quæst. I. cap. 7. (2) 1636. (3) In Pref.

(1) Vide supra. (2) t. p. 6. 13. n. 128. (3) t. p. anallog. n. 65. (4) Ex Relat. Pegna ad Gener. Inquis. die 25. Nov. 1601. (5) Exstat in Bibl. Angel. vol. sig. H.

citare controversiâ definiti possent. Non desuere, qui ei amice confulerent, ut ab audaci declamatione temperaret, ne quid incommodi suo capiti fueret: quibus ille confidentius respondit, hanc sibi curam a Societate commissam esse, quod hæc una proccaltinandi negotii ratio suppeteret. Nec tamen propterea sapienter evasit: quin potius inaudito petulantie genere Hispaniam versus iter arripuit 17. Novembris, sibi rumores eodem impune disseminaret, eaque de re cum Episcopis Concheni, Abulenti, & Tudenti conferret; num forte Regi Catholico postulandi Concilii mentem suggerere vellent. Nebulonis artes detexit Sanctissimus Pontifex, eumque ab Inquisitionis generalis Commissario detineri iussit. Quare Viterbii a ministro execratorum comprehensus in S. Officii carceris confectus fuit. Necessaria sane, sed interim fera nimis ingravescenti malo medicina; jam enim in Hispaniam Concilii convocandi rumor pervenerat, ac passim per Academiâ indefessa Societatis industria ferebatur.

Id cum primum per Epistolâ, Vallisoleti, ac Salmantice datas, Roma didicit, providit ne laetitia fama serperet; potissime vero, ne quis Regi Catholico Concilii postulandi voluntatem suggereret. Timendum quippe videbatur, ne Michael Vafques id ei per supremum Inquirentem, cui erat a Confessionibus, insinuari curaret. Ad supremum igitur Inquisitionis Consilium ea de re scripsi Franciscus Pegna; cuius Epistola in secretis ejusdem commentariis aservantur. Harum una, die 12. Januarii 1602. data, sic habebat: (1) *Periculosus in universa Hispania convocandi Concilii rumor a Molinæ fautoribus, tanta cum astutia disseminatus, diabolica proflus arte augetur in dies, ac varia de causa. . . . Postulat Dei, & Catholici Regis obsequium, ut Illustrissime Dominationes Vestre, Regis ejus Epistolâ morem gerentes, quibus a postulando Concilio proflus abstinere, solita prudentia, ac secreta dexteritate comprimere curent, vagos illos convocandi Concilii rumores Salmantice, Compluti, Valentia, in Regno Aragonie, in omnibus Academiis, ac precipuis civitatibus, subeantque subiectis Inquirentibus, & ministris, ut animos intendant, constituantque exploratores, qui illos diligenter observent, qui de convocando Concilio iustitiam: ut detegi tandem possit, unde primo vox illa prodierit, que Roma hæc presertim in occasione, nisi sacrilega, atque nefaria reputatur.*

Paucos in officio continuit atrenta illa Romanae Curiae sollicitudo. Abstinit quidem a generali Concilii petitione Catholicus Rex: at tantam in eo rumore disseminando curam posuerunt Molinæ vindices, ut non in Hispaniâ modo, sed & in Urbis pervagato sermone versaretur. Dissimulavit aliquandiu prudentissimus Pontifex inanes susurronum machinationes, donec Cardinalem Bellarminum, isdem occupatum affectibus, invenisset. Doluit, ac merito quidem, indeficientis iudicii Pontifici vindices pristinos sensus, domesticæ causæ studio, tam facile exuisse. Ideo eum, ad se vocatum die 20. Januarii, severiori animadversione excepit: (*Lavanolo, inquit Pegna, (2) sobre este particula, muy bien la cubren*) & ostenso S. Augustini loco ex lib. 4. ad Bonificum; Pe-

lagianos eisdem olim circulationes quævisse, demonstravit, ut Pontificiæ Auctoritatis iudicium effugerent. Respondit Bellarminus, nusquam se negasse, quin per sese, & absque Concilio definire Pontifex possit; tamen si factus esset, convenientius fore, ut Concilium haberetur. Verbum hoc ad injuriam accepit Sanctissimus Pontifex, repofuitque non sine Itomacho: (3) *Bellum profecto, si definiendi postulatum in dubium verteres! Attende ergo quæ dicas: si magis expedit convocari Concilium; non expedit ergo, Controversiam a nobis definiri.*

Ad hæc concidit animo Bellarminus, nihilque ultra reponere ausus est; atque ut prudens erat, cordis nubium frontis serenitate discuffit. Ac licet de Societatis doctrina sermonem instituisset Pontifex, ut Pelagianos gratiam interioris inspirationis, & illuminationis, non secus ac Molinianos, admisisse ostenderet, omnia silentio tulit, dilata in opportunum tempus responsione, quam per Epistolâ transmissurus esset.

Interea Pegnam ad audientiam admisit Clemens VIII. die 22. Januarii, multa que cum illo de vago convocandi Concilii rumore consulit. Jesuitarum artes mirari, se, ait, qui, ut in hujusmodi controversiâ tractatione tempus decerent, universum pene orbem his clamoribus impleverant. *Omnia audent, inquit, omnia audent.* (4) Concilium generale nulla ratione convocandum, addidit; quod non tam novus damnandus error, quam antiquus, ab Ecclesia prædicatorum, profertur offerretur; tamen Synodum Œcumenicam in ipso Germaniæ sinu celebrare non vereretur, si id Ecclesiæ necessitas postularet.

Non obscure tamen diutius illa offensi animi significaciones, quin primum convocandi Concilii institutum Jesuitæ prosequerentur, ac majora etiam auderent. Novam scenam aperuit Bellarminus ea in Epistola, quam ad diluenda Clementis VIII. momenta de interioribus inspirationibus dedit sub finem mensis Januarii 1602. Postquam enim multa protulisset, quibus nusquam a Pelagianis admittas interiores illuminationes, ostenderet (qua in re singulari scripto confutatus fuit) (5) Summum Pontificem hortabatur, non modo ut Concilium convocaret, aut Christiani Orbis confuleret Academiâ; verum etiam, ut a diuturniori controversiarum questionum studio abstinere. Fregit sane Viri eruditi Consilium! Addebat, in lepida adhortationis confirmationem, variorum Pontificum exempla, qui, vel posthabito quovis studio, sola Conciliorum, & Academiarum ope adhibita, permultos errores proscriptissent, & qui nimia literarum, ac Patrum lectione Ecclesiæ Catholice novissent. Joannes XXII. in propugnanda visionis beatificæ dilatione imprudens studium opponere; quasi Clementem VIII. non abfimis imprudentiâ, ac pertinaciâ reum subinnuere vellet. Tanta demum arte Epistolam finxit, tanta industria sublinierat, ut a publica Censura sibi metuens, eandem, statim atque lecta foret, igni tradi supplicaverit.

Grattas Pontifici maximas, qui Bellarmini votis abnuit! Egregium monumentum posteritati servatum voluit, & in Congregationis Commentarios

rior referri iussit. Hoc & nos lectori damus, nec inspicandum fore, confidimus.

BEATISSIME PATER. (1).

Omnia, qua possum, humilitate, ac reverentia Sanctitatem Vestram rogo, ut Epistolam istam legere, eamque procius igni tradere digneris: quippe qui eam ab altero nemine legi velim. Legerat mihi altera die serotinis horis Beatitudo Vestra duos S. Augustini testimonia, quibus probabatur, Pelagium gratiam, & illuminationem interiore minime negasse. Cæterum, cum certo nossem, quo ex loco petita essent, ea, statim atque domum redi, studiose consului in lib. de Gratia Christi, cap. 7. & 10. ac comperi, S. Augustinum his ipsis in locis ostendere, Pelagium speciosis illis verbis errores suos re ipsa tegere, nec alteram Gratiam, & adiutorium, atque illuminationem confiteri nisi in lege, & exteriori doctrina positam.

(Id multo splendore nititur Bellarminus, ac demum ita proseguitur.)

Interea, quia semel cepti loqui ad Dominum meum, humillime rogo Sanctitatem Vestram, ut quanto citius Ecclesiâ presentem scandalo liberet, Religionis unitatem stabiliat, hæreticæque dissidio nostro quædam occisionem eripiat. Si vero mihi liceat id Vestræ Sanctitati aperire, quod in re tanti momenti opportunius mihi visum est: oro, ut attente perpendat, susceptam a se rei iudicanda viam, & proxiorem esse, & Vestræ Beatitudini difficiliorum. Sanctissimi Prædecessores ejus potissimum curam non impenderunt in dogmatibus ingenii acumine, aut studii assiduitate penetrandis, sed in communi Ecclesiæ, maxime vero Episcoporum, ac Doctorum sententia investiganda. Quapropter Summi Pontifices ab ipso D. Petro ad hæc usque tempora Concilia solito adhibuerant ad fidei dogmata definienda. Addam etiam, permultos Pontifices, posthabito studio, multos errores, Conciliorum, & Academiarum ope, feliciter repressisse: cum e contra alii bene multo in discrimen adduxerint.

Exemplo est Leo X., qui non admodum studio incubuit, ut Lutheranam hæresim condemneret; sed Catholicarum Academiarum, ac præsertim Colonienfis, & Lovaniensis Censuras probare, satis habuit. Certe Paulus III. Julius III. & Pius IV. non admodum studiis infudant: collaborante tamen Concilio Tridentino, maximi momenti veritates eliquarunt. Id ipsum testatur etiam Augustinus, Innocentium scilicet, & Zozium toto orbe Pelagianam hæresim proscriptisse, cooperantibus Conciliis Africanis. Contra Joannes XXII. cum in animum induxisset, sanctas animas Dei visione minime frui, propterea quod eam esse S. Augustini mentem existimaret; suam illam opinionem promovere conatus est: nec modo id publicæ Concilii, aut Academiarum consultationi nequaquam commisit (eo quod adversam sibi Parisiensem Academiâ experiretur) verum etiam S. Augustini testimonia, huic opinioni advenientia, studiose conquerebat; iisque, ut testatur Villanus, Ecclesiastica Beneficia concedebat, qui ea ipsi indigebant, & offerrebat. Propterea pauci illum ea de re alloqui audebant, sibi que ipse veritatis aëritum præcludebat. Interea tamen decem, & octo annorum spatio, quo Pontifex sedit, in-

stitutum sibi finem non obtinuit, quia assistens Apostolica Sedi supremi Numinis auxilium non sivit, ut quidquam adversus veritatem decerneret. Ubi autem eam ille extremum obiit, Catholicam veritatem juxta Doctorum assensum Successor ejus definiit.

Novit etiam Beatitudo Vestra, cui se, totamque Ecclesiâ discrimini commiserit Sixtus V. dum juxta propria doctrinæ sensus Sacrorum Bibliorum emendationem aggressus est: nec satis scio, an gravius unquam periculum occurrerit. Non id dico, Beatissime Pater, quasi Sanctitatem Suam a studio dimovere velim; sed ut ostendam, eam agendi rationem proxiorem esse, gravissimumque inde Ecclesiâ damnum emeritum.

Inquiet fortassis Beatitudo Vestra, quæstiones fidei controversi. Si ita res est, ad omnes plane arctet, ut inquit Nicolaus Papa, & publicæ consultationi committenda venit, non secreto, ac cum paucis pertractanda: quia licet assensum, & obedientiam præstare tenerentur, si rem per sese absque publicâ deliberatione decerneret; id tamen non sine Ecclesiæ, & Academiarum obmurmuratione contingeret, quæ se minime auditas fuisse, quererentur. Ea saltem non est ratio Majorum nostrorum via, quos Sanctitas Vestra imitari, magnopere studeat. Cum ergo post tantum Beatitudinis Vestræ laborem, & studium, deveniendum tandem sit ad publicam consultationem Concilii Episcoporum, aut Congregationis ex variorum Academiarum Doctoribus institutæ; fatius foret, viam illam jam antea tenuisse, aut eam nunc tandem inire, quam eo usque differre, donec ea legerit universa, qua sibi legenda constituit: quia, uti præmonui, tantum illud Sanctitatis Vestræ studium minime necessarium est, jamque satis legit, ac studuit.

Rem abfolvo, ac supplico Sanctitati Vestræ, ut pro eo quo in Deum & Ecclesiâ amore fervet, nec non quo in hæresis, & schismata fertur odio, negotium istud Deo commendet, & ad presens extinguendum incendum mentem adducat. Duplex duntaxat rei canicendi via suppetit: 1. Ut consopiat, ac toleret, indulto utriusque parti silentio. Nec vero id sine exemplo est; siquidem Concilium Tridentinum satis noverat, agitari in scholâ opinionem, aut errorem de Prædeterminatione ex prævisis operibus, & de dilectione Dei super omnia ex viribus Liberi Arbitrii; atque id genus. immo in ipso Concilio versabantur Pighius, Catharinus, Tarranus, & alii, qui eam opinionem propugnabant: placuit nihilominus Concilio, ad eas controversias minime descendere ito potissimum tempore, quo his hæreticis petitur Ecclesiâ, qui liberum arbitrium plus æquo deprimat, & evertunt. 2. Ut Concilium Episcoporum cogate aut, si id minus placet, Romam ex universis Catholicis Academiis selectos aliquos Theologos vocet; vel his saltem Contra-versiâ capitæ, & lucubraciones, hinc inde elaboratas, scripserit, pro communitate: quo demum, hujusmodi præmissa deliberatione, quæstiones, Auctore Spiritu Sancto, Beatitudo Vestra definiat.

Cæterum, quandiu res controversetur, omni cordis affectu obtestor, ut illorum ora comprimat, qui palam prædicant, Sanctitatem Vestram, plane convictam, in unam litis partem omnino propendere, nec satis libenter alteram audire. Si enim ita se res haberet, nemo illi mentem

(1) La fama, y voz de Concilio, que con tanta astucia, y cautela van derramando en estos Regnos de España, los fautores de Molina, va encaminada con diabolico artificio a diversos efectos. . . . Están obligados VV. SS. para servicio de Dios, y de Su Magestad, (y conformandose a sus Reales Cartas, en que ni pide, ni alansa Concilio) a procurar con toda acollambada prudencia, diligencia, y secreto, que cesse esta voz, y pretension de Concilio en Salamanca, Alcalá, Valencia, y Aragon, y en todas las Universidades, y ciudades principales: ordenando a los Inquirentes, y Ministros, que estén atentos a esta voz, y pongan exploradores, que cuiden, y avisen de los que dello ablaen, para entender de quien sale a quella voz: la qual acca tam bien se tiene por sacrilega, y descomulgada, en esta ocasion. (2) In Diario. (3) Questo faria bello, che negasse la potestà. Ortu guardate bene quello, che dite: se è più conveniente di convocare un Concilio, non sarà conveniente dichiarar noi. (4) Idem sibi a Clemente VIII. dictum, narrat Cardin. Perro. in Porroniano. (5) Exstat in Bibliot. Ang.

(1) Exstat in Bibliot. Angol. Ex Italiano informato Latine datur.

tem suam auderet aperire. Et quidem fateor Sanctitati Vestre, me de secessu, perpetuoque servando silentio cogitasse, ex quo tempore nulla a Sanctitate Vestra prolata duriora verba excepi, adversus scientiam futurorum conditionum, quæ in scholis juxta Sacras Scripturas, ac Patres doceri solet. Si porro ipse ego animo deficio, ac secedo, ne Ipsam offendam, tamen totus illi devotus sum, ac presentibus questionibus triginta, & amplius annos insumpserim; quid, quæso, de cæteris cogitandum? Meum non est judicare, quo pacto iis ora praeludi debeant, qui talia loquuntur: id abunde novit prudentia vestra.

Nimie interim sumptæ fiducia rogo veniam, ac Sanctissimos pedes debita reverentia deosculor.

Beatitudinis Vestre humillima Creatura, Servusque devotissimus,

ROBERTUS CARD. BELLARMINUS.

Totum id ad trahendas interim moras machinatum, nemo non videt. Quor enim complectitur capita, tot effugit prodit, ipsa sui vanitate dissipata. Concilium in primis cogi rogat, qui Pontificis iudicium, ac sese indeficiens exultat. Quamquam est sensisset aliter, id saltem nosse potuisset, tunc non opus esse Concilio, ubi nec novus enatus est error, sed antiquus innovatus, nec nova ferenda sententia, sed pristina renovanda. Secundo, Academias, & Episcopos consuli, postulat, qui id jam pridem in Belgio, & in Hispanis, jubente Pontifice, factum, & quidem summo Moliniane doctrinæ damno, non ignorat. Tertio, Pontificem a privato causæ studio subdole deterret, qui Cardinales, Episcopos, ac Theologos in examinis, ac studii partem venisse, certo novit. Quarto, Controversiæ definitionem quantum fieri supplicat, qui prolixiores, ac pene æternas ferendi iudicii vias suggerit. Quinto, Universos Pontifices in definiendis Fidei dogmatibus Conciliorum opem solito abhibuisse fingit, non modo repugnante Augustino, sed & semetipso dissentiente, in libro de Summi Pontificis indeficientia. Sexto, Eam in Ecclesia opinionem de Prædeterminatione tolerari, ac permitti postulat, quam Ecclesiæ Fidei contrariam suis in Scriptis appellavit. En quibus implicatur ambagibus, qui uno partium studio occupati inconsiderate libris immittentur!

CAPUT XXVIII.

Quarta pro impedienda Definitione Jesuitarum ars: Molinæ doctrinam per Epistolas, sicutque revelationes commendari curant, ut Clementem VIII. a ferendo iudicio deterreant.

Quam anno superiori frustra tentaverant, flendi Summi Pontificis viam, eandem pro impedienda Definitione Apostolica novis conatibus inire. Commendatarias Epistolas undequaque emittunt, ut Porentum, & Amicorum gratia imminens capiti fulmen averterent. Constituerunt autem in primis, quid ab unoquoque pro communi Societatis voto scribendum foret. Primo scilicet, Molinam absque summo Inquisitionis Lusitanæ dedecore damnari non posse; eamque propterea denuo consulendam esse. Secundo, Iudicium non ante ferendum, quam audirentur Academia; atque ille potissimum, quæ in Germania constituta essent, quasi eas frequentiores cum hæreticis concertationes oculatioris reddidissent. Hinc quippe maxima obtinenda dilatio nis spes affugebat.

Primus itaque, pro summa in Societatem pensionem, ac necessitudine, scripsit ad Clementem VIII. Joannes Borgia, ex clarissima Borginam stirpe oriundus, die 8. Junii 1601. Hic, premiffa Ludovici Molinæ officiosa commendatione, Pontificem a ferenda damnationis sententia dehortabatur; tum ne supremis Lusitanicæ Senatibus, quo favente, præderat Concordiæ liber, summum honoris sui discrimen ageret; tum ne Regnum Hispaniæ, cui acceptissimus semper fuerat, offenderetur.

Non absimiles Cardinali Arrigon to dederunt Epistolæ Petrus Ruiz, Rector Complutensis Academiae, & Joannes Neroni, ejusdem Cancellarius, die mensis ejusdem 22. quibus potentissima officia Moliniane causæ impendi precabantur, ne Complutensis Academia, quæ controversiæ dogmata ab hæresis nota liberaverat, famæ suæ iacturam faceret. Rogabant etiam, ad moras interim neclendas, ut si in propositionibus ab Academia probatis aliquid difficultatis occurreret, id sibi nuntiari, provideret: seque cumulatori scripto responsuros, promittebant. Si quid in illis propositionibus, quæ a nostris Doctores iudicata sunt, ab aliquo desideratur; agat cum Sua Sanctitate, ut iterum ad hanc Academiam referatur; ut rationes reddantur singulorum, & Sanctorum, Scholasticorumque testimonio confirmetur.

Hoc idem totus Theologicus Ordo per Epistolas, Clementi VIII. datas, rogavit die 20. Novembris: quo tempore Molinæ sententiam prope diem ferendam inaudiverant. Jubet Sanctitas Vestra, ut nobis propositiones, in quibus denuo his est, committantur: illisque perspectis, sedulo Vestre Sanctitati obsequium præstebimus, & magna cum diligentia responsum: Quod humiliter postulamus. Moleste etiam ferunt Viri Theologi, sibi a nonnullis Romæ vitio datam, quod de Molinæ doctrina minus ferere, quam par esset, pronuntiassent: ut hinc obiter videas, lata Compluti Censura Molinam non plene purgari, ut fatus Libro primo demonstravimus; sed ex parte duntaxat absoluti. Quamquam in iudicanda Molinæ causa, minoris habenda veniat Academia Complutensis, quam Societatis Disceptulam vocat Clarissimus Pegna; quod illi Theologica res ab Jesuitis, velut a sacro manipulo, penderet, à quibus universi pene Doctores Sacris Literis imbuti fuerant; uti Lemsius in Eritis sæpius observavit.

Idem Societatis officium impendit Senatus ipse Lusitanæ Inquisitionis, novamque procrastinandæ liti occasione aperuit. Datis enim Clementi VIII. efficacissimis Epistolis, supplicavit, ne supremo Senatui labem inderet, pronuntiata adversus Molinam damnatione, sed accusationum capita transmittere, novamque parandæ responsionis inducias concederet. In hujus libri periculo, inquebat, Inquisitionis auctoritas aliquomodo periclitatur. Supplicamus, ut jubere dignetur, communicari huic Consilio objectiones, quæ ejus libri doctrinam in discrimen adducere videntur: dato nobis spatio congruo ad transmittendam satisfactionem, quæ reddi posse videtur; nihil interim contra ipsam librum statuendo.

Accesserunt in officii partem die 7. Julii tredecim Hærbipolensis Academia Theologi, quos inter sex Jesuitæ (quod certe lepidum est) numerabantur, & subscribebant. Hi, directis ad Clementem VIII. Epistolis, Prædicatorum doctrinam, seu Calvinianam, traducebant: tum se, antequam quidquam de presenti Controversiâ decerneretur audiri, atque una cum cæteris Germaniæ Academicis consuli, postulabant. *Istud modo humillime rogamus, ut hanc nostram curam, & sollicitudinem, quam ad Sanctitatem Vestram refer-*

rimus, & in qua, præter pacem, animorumque concordiam in Ecclesia conservandam, aliud nobis expectamus, clementer patereque suscipere velit. Siquæ aliquando in hac Controversiâ aliquid determinandum sit, Academicarum etiam Catholicarum, in locis præsertim Septentrionalibus (ubi majori studio, & diligentia, ob vicinum, & imminens malum discutuntur, & examinantur hæreticæ) audire sententias, & iudicia, dignetur.

Plenum id calliditatis, atque astutiæ. Idcirco enim Germanicarum Academicarum iudicia audiri postulabant, quod eas Jesuitæ moderarentur, Theologicas, ac Philosophicas Cathedras occuparent, gradus literarios dispenserent, omniaque pro nutu, atque imperio regerent; ut non tam Academia, quam Jesuitarum Gymnasia censerentur. Prostratis quippe Hæreticorum perfidia antiquis Catholicorum Scholis, studia publica Sodalitii Jesu Viri magna ex parte excitaverant, ac, retento pristino Academicæ titulo, universa pene Gymnasia occupabant. Quamquam & hoc familiare Societati sit, ut sua Gymnasia Academicæ nomine cohonestent, uti 4. Constitutionum parte, & passim in Congregationum Generalium statutis, videre est. Summ ergo de sua ipsorum doctrina iudicium auscultari postulabant, dum Germaniæ Academicas audiri precabantur. At de his plura damus Lib. 4. Cap. 18.

In eundem sensum Idibus Augusti scribere undecim Facultatis Moguntinæ Theologi, quos inter quinque, ac ipse etiam Decanus Academicæ, & Societate erant. Etiam, atque etiam Beatitudinem Vestram rogamus, ut Catholicarum Academicarum in tam ardua questione iudicium, ne siccitati gravetur. Non quod arbitremur, Sedem Apostolicam in formatione earum opus habere; sed ut accuratius Doctorum Septentrionalium disputationibus (quibus assiduum in hoc genere cum hæreticis certamen est) discutatur, an illa opinio de efficacia Gratia, cum necessario voluntatis consensu conjuncta, & assensum aliquam habeat cum errore Calviniano, in Synodo Tridentina confosso, ac damnato. Ita belle festivi Theologi Prædicatorum doctrinam exponerant; ipsique Jesuitæ, sub honesto Academicæ titulo, sententiam in eos pronuntiabant.

Tot illas commendatarias Epistolas, quibus & tempus ducere, & Controversiæ iudicium declinare satagebant, molesto quidem, patienti tamen animo tulit Sanctissimus Pontifex: donec Bavaricæ Ducis, aliorumque Germaniæ Principum literas exciperet, quibus ad Molinæ gratiam supplicabant. Offensionis, & doloris sensum ultra continere non valuit, accitumque Generalem Societatis severius objurgavit, quod summo veritatis, & Ecclesiæ damno, favoris, & gratiæ viam tot artibus iniissent. Rei fidem facit clarissimus Pegna.

(1) Hac occasione Pontifex Jesuitarum Generalem acciri iussit, cumque durioribus verbis habuit ob nonnulla circa Auxiliorum Controversiam emergentia. Litteras scilicet commendatarias a Duce Bavaricæ, nonnullisque Septentrionalium partium Principibus obtulerant, quibus Pontifici Maximo pro Ludovico Molina, totiusque Societatis nomine lite supplicabant. Quæ vel Beatissimum Patrem duplici de causa multum offenderant: Primum, quod in controversia Tom. I.

vestris, Catholicam Fidem spestantibus, humanas favores precari minime liceat: Alteram, quod de Sanctitatis Suae iudicio diffidere viderentur.

Iis attendant Martines de Ripalda, & Franciscus Annatus, qui Prædicatores in hujus causæ tractatione Magnatum gratiam implorasse, temere, atque audacter effurunt. (2) Videant, cujus generis sint tot illæ commendatariæ Epistolæ, tum hic, tum alibi memoratæ. Næ illi honestis de trivio mulieribus similes, quæ ne suo ab æmulis vocentur nomine, eas convitiis priores occupant. Nugaces! quos alibi plenus exagitabo. (3)

Accessit tunc temporis alterum longe gravius. Non illis satis fuit, terrenos Principes in Moliniane causæ patrocinium commovisse: cœlestes etiam Potestates, ac Deum ipsum in Controversiæ partem advocarunt, qui pro Molina suffragium ferret. Libros hoc anno submiserunt, quorum Auctores cœlesti se lumine perfusos, & divina revelatione edoctos, mentiebantur; ut Moliniana dogmata, veluti sacra Oracula, mortalibus eruerent. Hujus farinae fuit liber, Parisiis anno 1601. Typis editus, sub hoc titulo: (4) *Tractatus de Prædeterminatione, in Scripturam Sacram, & veram Evangelicam lucem, divina mediante gratia, ab idolo Ferdinando de los Infantas, Presbytero Cordubensi compositis, & extra omnem præsentationem, ipsi vere luci, Christo Dei Filio, a quo accepit omnia, dicatur.* In cujus quidem Præmio idiotam se fingebat Auctor, sed a Deo derепente per revelationem edoctum quæcumque in eo tractabantur: ac subinde in tractandis Molinianis, seu veris Pelagianis erroribus totus erat.

Quis Pontificem prudentissimum tam stulto auspicio deludendum existimasset? Hac tamen spe alebantur Viri boni, quorum ex officina prodierat. Verum res longe aliter cessit: Romam quippe delatus Liber, uti aperte Pelagianus, & Arianus, damnatus fuit. Nec sua in patria acceptior fuit Propheta novus, quo ab Ill. Præsule una cum ipsius Censura transmissus est.

Alias revelationum nugæ eodem fine venditarunt. Jactabant, (4) Religiosissima Virgine Marine Escobar, pro Societate damnationem rudente exoranti, conspicuum se præbuisse D. Dominicum, serioque iussisse, ut pro periclitante Societate ferventius præcicaret: eidemque obtulissent, quod is pro Jesuitis potius, quam pro Prædicatoribus orandum, injungeret, reposituisse Sanctissimum Patriarcham, sic ad Dei gloriam expedire. Iis fabulis ineruditam plebem alebant: Dominicum Molinisticæ certaminis contra filios suos Agonotheren jactabant; ut rem contra Prædicatores in cœlis præjudicatam innumerati fortassis, eodem hamo capiendum Clementem VIII., nihilque definiturum in oppositum, ne cœlesti iudicium rescinderet.

Hinc veteres Semipelagianorum Apologiæ secundis curis restituta; novæ etiam ex integro additæ, ubi Cassianus, & Faustus, repugnante licet Ecclesiæ iudicio, absolvebantur; ne quid Molinæ absolvendo deesset, quos inter summa probata fuerat doctrinæ consensio. Hinc Cassiani sanctitas, reclamante Pontifice, ambitiosus elata; (5) sparfa, ad occupandam plebeculæ venerationem,

(1) In Diario ad diem 10. Nov. 1601. Por este mismo tiempo Su Santidad mando llamar al General de los Jesuitas: y se dio una brava reprehension sobre cosas tocantes à esta materia de Auxilios. Y la ocasion fue, por que poco antes avian procurado, que de Duque de Baviera, y Senores de a aquellas partes Septentrionales escriviesen como en efecto escrivian à Su Santidad, encomendandole mucho la causa, y pretension de ellos Padres en las, y negocios directamente tocantes à la fee Catholica, no se confie de negociaciones humanas: la segunda, porque mostravan desconfiar de recto juycio de Su Santidad, y de la sancta Sede Apostolica.

(2) Mart. de Ripal. disp. 112. sect. 13. Annat. de Scien. Med. (3) Lib. 3. c. 45. (4) Lemos in Eritis tom. 1. tract. 6. c. 2. (5) Lud. de Ponte Soc. J. lib. 4. c. 18. (6) Lemos to. 1. tract. 5. de Error. Cassian.

nem, offium ejus particula. Hinc demum dati Summo Pontifici tractatus, porrecti libelli, quibus Controversiæ compositio ad gratiam Molina tractabatur: verum irriti profus, & infelici conatu. Hos inter pessima omnium forte habitus est Pauli Benii, alias Jesuitæ, tunc vero Professoris Patavini libellus, mense Novembri hujus anni 1601. Clementi VIII. traditus: cum enim illum, elapso biennio, typis dedisset, ex Summi Pontificis jussu, ac singulari Edicto damnatus est, nec multo post ultricibus flammis additus, ob viginti-quatuor, & eo amplius propositiones Pelagianas. (1) Auctor etiam, illiusque Approbatores, Romam vocati, dignam tulerunt erroris, & audaciæ Censuram.

CAPUT XXIX.

Quinta pro declinanda Definitionis auctoritate Jesuitarum ars: palam cum gregalibus suis propugnant, de fide non esse, Clementem VIII. Summum Pontificem, & Petri successorem esse.

Id unum Societati supererat, ut post tentatas impediendæ Definitionis vias, ab ejus etiam auctoritate sibi præcaveret, si eam a Clemente VIII. ferri contingeret. (2) Huic porro instituto nihil accommodatius videbatur, quam Pontificiam ipsam Auctoritatem in dubium vertere, ut quidquid tandem ab ea de controversis quæstionibus sanciretur, declinari facile posset.

Consilium executioni demandatum est, non Romæ quidem, ut a nonnullis scriptum observo, (3) sed in Academia Complutensi, quæ jam olim Molina novitatis ex parte confenserat. Theses publicæ disputationi datæ sunt sub finem mensis Novembris, in quarum quarta Conclusione duæ istæ propositiones habebantur. Non est de fide, hunc numero Papam, exempli gratia, Clementem VIII. esse verum Papam. . . Major pars Patrum in Concilio, ad hoc ante confirmationem Summi Pontificis, est infallibilis veritatis. Iis subscriperant Joannes de la Camera, & Alvarus Villegas, Doctores Theologi, ac Moliniana doctrinæ defensores acerrimi. Elapsis diebus aliquot, eadem istæ Assertionis in Patrum Societatis Collegio propugnatae sunt, Præside Ludovico Turriano; eo duntaxat adhibito temperamento, quod Clementis VIII. personam in exemplum non adduxissent: licet idem esset universalis propositionis robor, ac sensus. Hinc duplici incommodo occurrere posse, præsumebant. Si enim adversus Molinam pronuntiaret Clemens VIII., illico dicturi erant, nutare judicium; cum minime fide constaret, eum esse legitimum Pontificem. Si vero Concilium cogeret, non admodum erant de ejus approbatione curaturi; cum citra Pontificis confirmationem indeficienti veritate niteretur.

Perulantem illam Doctorum Complutensium molitionem accepit Clemens VIII. die 2. Martii: necdum tamen Jesuitas in machinationis partem venisse, idemque tentasse, didicit. Non illi diuturna consultatione opus fuit, ut id totum, ad eludendum Pontificiæ Definitionis robor, machinatum intelligeret: res quippe patebat ipsa per sese. Quapropter in Cardinalem de Guevara, Generalem in Hispania fidei Quæstorem, commotus est vehementius, quod nihil ad eam coercendam audaciam decrevisset, tantique momenti negotiis indormiret.

Ubi primum rem didicere Dux de Sessa, & Clarissimus Pagna, deliberarunt mutuo colloquio,

si qua possent honesta compositione Pontificis animum delinire: ejusque Nepotem, Cardinalem Aldobrandinum rogarunt, ut nihil interim ea in re decerni, provideret, donec ad Sanctitatis Suae colloquium admitti essent. Vocis annuit Eminentissimus Nepos. Mox igitur ad audientiam admitti, tria hæc suadere tentarunt. 1. Privatorum duntaxat errorem esse, in cujus partem minime venirent, quotquot in publica auctoritate constituti erant. 2. Causæ cognitionem ad Inquisitionis Hispaniensis forum remittendam; alias summam illi, totique Regno injuriam irrogatum iri. 3. Regem demum auctoritate sua curaturum, ut digna animadversione plecerentur, quotquot admittæ petulantiae affines essent. At cum nec moveri Pontificem, nec satis Inquisitioni Hispaniensi confidere, intellexissent, ut ei cognitionem causæ committere vellet; Regem, misso cursore, monuerunt.

Interea Pontificia Mandata in Hispaniam transmisit Cardinalis Aldobrandinus, quibus Romam citabantur Theologi Complutenses, qui Theses vel defendissent, vel approbassent. Apostolico Nuntio rei gerendæ cura commissa est, quia sæpius comprobatum fuerat, Inquisitionis generalem, cui Michael Vasques a Confessione erat, omnino Societati devotum esse; multaque aliis occasionibus alto silentio dissimulasse, quæ contra sanam doctrinam Jesuitæ docuerat. Nuntius Pontificia Mandata, Rege penitus inconsulto, executioni mandavit. Jusit solemnem significationem, Theos Defensorem, & Approbatores Romæ sibi coram Inquisitione generali; nec, nisi post peractas omnes Juris solemnitates, Regem per epistolam monuit, ac tylo quidem audaciori. Scripsit enim in hæc verba ex Hispano Latine redita.

SACRA MAJESTAS.

(4) „Novit dubio procul Vestra Majestas Mandatum a me Sillanica significatione tribus Clericis ultra, quam oportet, sapientibus: ut coram Inquisitione Romana, de mandato Sanctitatis Suae, compareant. Res enim, disputationi data, hæretica est, & a communi sensu abhorret; doctrinæ Sanctorum Patrum, Conciliorum generalium, Fideique Catholice adversatur; Summi Pontificis Auctoritati, ac Sedis Apostolicæ Dignitati insultat; Orbi denique universo scandalo fuit tum ob dogmatis falsitatem, tum maxime ob loci dignitatem, in quo & typis mandata, & disputata Thesis est. Compluti quippe, in ipso Regni Catholici sinu, ac sub Christianæ Fidei Defensoris oculis, scenam istam explicarunt. Debuissent quidem Majestatem Vestram convenire, ore longe plura didurus, quam scripto possum: confidentius tamen dicam, in hisce Hispaniarum Regnis tot Mauros haberi, tot versatilis ingenii Viros, tot demum violatæ quondam Fidei reos, ut si in isto præsentis discrimine dissimuletur, in deteriorum statum Hispania decideret, quam unquam cætera Regna prolapsa fuerint. Hispaniam quidem hæcmodi servavit incolumem justa Inquisitionis severitas: at si tanti momenti res, in scholis publice ventilata, segniter ab Inquisitoribus pertractetur; nec majorem ipsi vigilantiam, diligentiam, ac providentiam adhibeant hujuscemodi disputationibus, impressio-nibus, lectionibus, concionibus, (attendat, quæso, Vestra Majestas) brevi præfecto sentietur ultio, quam Regnis, eorumque Pastoribus

„offe-

„officantibus minatus est Deus. Cum ea potissimum fidei res agatur, quæ Romæ, cæterisque mundi partibus prius innouit, quam Hispaniarum Inquisitoribus: id Majestati Vestre scribendum judicavi pro eo, quo feror, zelo, ac desiderio, ad quietem Regni hujusce, ac Majestatis Vestre, cujus Sacram Personam Deus sospitem fervet. Vallisoleti 1. Maii 1602.

Improvisam illam causæ translationem ad injuriam accepit Inquisitio generalis; utque nec animum sibi, nec zelum ad hujusmodi culpas castigandas deesse, ostenderet, audita non ab simili Jesuitarum molitione, non modo Melchiorum Onate, a quo Theses defensa fuerant, & Ludovicum Turrianum, qui earundem Præses, & arbiter federat, in carcerem conjici jussit; verum etiam Nicolaum Almasan Collegii Rectorem, & Gabrielem Vasques, primarium ibi Theologiae Professorum, qui admittæ culpæ participes putabantur. Regi vero supplicavit, ut transmissa mandata Pontificia auctoritate rescindi, Doctorumque Complutensium causam intra Regni fines cognosci, ac judicari, provideret, ne summo Inquisitionis generali, Regniq; decore judiciorum ordo inverteretur.

Descendit in supplicium preces Catholicus Rex: suo in Romana Curia Oratori scripsit in hæc verba.

DUX DE SESSA, ET VAENA, CONSORINE.

(1) „Paucis antehac diebus Consilium generalis Inquisitionis, in hisce meis Regnis constituta, didicit, Theses aliquas in Academia Complutensi typis mandatas esse, ac propugnatas, quibus propositiones nonnullæ male sonantes insertæ fuerant. Ob eximiam venerationem, & obedientiam, qua ego, meique subditi erga Sedem Apostolicam, & in ea sedentem Pontificem, Deo favente, decimur, necnon ob singularem meum in Sanctitatis Suae Personam affectum; Inquisitio generalis, ingenito sibi zelo in occupandis, castigandisque erroribus, aliisque erroris speciem præ se ferentibus, me sciente, ac volente, manum admovit ad inquirendum non in eos tantum, qui hujusmodi Theses propugnasse conviciti fuerant, sed & in illos, qui facti quocumque modo concilii deteguntur: ut univique, prout æquitas postulat, debita animadversione plectantur. Quapropter eos comprehendere cœpit, qui, præmissa quæstione, in culpæ suspicionem venerunt, in duos præsertim Patres Societatis injectæ manu, qui morum gravitate, ac litterarum opinione noti sunt. Id non sine timore tentatum est. Captus pariter fuit, qui Theses illas propugnaverat; alique capiuntur in dies, prout quæstione convincuntur, atque in publicos Inquisitionis carceres conjiciuntur. Quæ res (si bene nosti) in ditionibus meis instar pœnæ gravissimæ habetur, ob eam videlicet infamiam, quam secum hujusmodi incarcerationis præfert.

„Rebus porro ita constitutis, Suae Sanctitatis Nuntius, nulla mihi data ratione, nonnullis Doctoribus Complutensibus Monitorium notificari jussit, quod eadem in culpa versarentur: præcipiens, ut intra præfixum tempus coram Sanctitate Sua compareant: quæ res mihi duntaxat post significationem innouit. Quanquam porro obedituri sint ea, quæ solet a subditis meis præstari, diligentia; meo tamen officio deesse, debiteque Sanctitati Suae, ac Sedi Apostolicæ venerationi, nisi tibi per Præsentes injungerem, quatenus ei nomine meo dicas, pro summo officio habiturum me, si causam illam

Seryy Tom. I.

„mecum, aut tecum saltem communicari jube-ret. Cum certo noverit, me in eos summo jure animadversurum fuisse, ex quo primum errorem didicissem, ob id unam, quod ipsius Sanctitatis Persona irreverenter in exemplum adducta fuisset, etsi aliunde non adeo graviter deliquissent, uti re ipsa iis in Thesibus deliquisse, competentum est; quanto magis, læcæ Jam Religione Catholica, quæ, Deo misericordite, tam altas in corde meo, subditorumque voluntate radices egit? Ea procul dubio animadversione plecerentur, quæ perinde Suae Sanctitati satisfaceret, ac illa, quæ in Doctoribus, ipsa jubente, captos exercebitur: nec a cœpto manus amoveretur, donec esset ex integro absolutum.

„Propterea vero tardius Inquisitoribus res innouit, quia mutata Curia meæ Vallisoletum pergens statione, longius ab Universitate Complutensi recessit Consilium Inquisitionis. Quamquam porro ad majorem Doctorum, qui Romam ire jussi sunt, castigationem longe magis conduceret, ut in hocce S. Officio causa cognosceretur, ubi vel ipsa sola incarcerationis pœnæ loco est; (luculentum sane Hispaniæ pietatis argumentum!) id aliunde rei breviter consiciendæ necessitas exigit, hic etenim intra unum, alterumve diem quæstio facile habebitur. Præterea cum una, eademque sit Doctorum illorum, ac Jesuitarum causa, res cere incommode cederet, si non modo diversis in tribunalibus, sed & in locis adeo diffitis Rei judicarentur.

„Cæterum me præ cæteris ad id estagitandum movet Sanctitatis Suae, & Apostolicæ Sedis Auctoritas, cui nocumento foret ea ad Romanam Curiam litis provocatio. Hæreticis quippe ansa præberetur infusurandi, in Hispaniæ Regno, (quod & Apostolicæ Sedi, & Christi Vicario integram, atque ab errore puram præstitit hætenus obedientiam) ac in probatissima Complutensi Academia, in disputationem vocari Christi Vicarii Auctoritatem, ipsa etiam Inquisitione dissimulante. Quo casu non ipsi solum Hispaniæ, cujus honori consultum velim, gravis injuria inareretur, sed & malevolorum in Sanctam Sedem audacia petulantius effræretur, si eam apud nos minus in honore haberi fingerent. Utrique autem occurrit malo, si ibi cognoscatur causa, ubi delictum admittum est.

„Sanctitatem Suam nomine meo monas, ut hæc ingenita sibi prudentia, & zelo perpendat. Si enim ad supplicationes meas pari mecum affectu attenderit, spero, fore ut causam Hispaniarum Inquisitioni committi jubeat, suspensa Doctorum Complutensium citatione, qui Romam ire jussi sunt. Eoque pacto quibusvis incommodis, superius observatis, aliisque bene multis, citra dubium venturis, occurret. In hunc finem Curiosem istum delego, quem, ubi Sanctitas Sua responderit, quemadmodum de ipsius prudentia bene spero, denuo delegabis. „Transmitto pariter Epistolæ Nuntii Apostolici transumptum, quæ rem mihi executioni jam demandatam significavit; ut noveris, quæ verba, quamve loquendi rationem usurper Administrator ille. Pro ea qua in Sanctitatem Suam veneratione feror, non respondi eo animi sensu, quem postulat scriptum hujusmodi, Regi Catholico datum, quem Deus pro immensa clementia Regnis, nulli religione secundis, præfecit. Hæc omnia Beatissimo Patri, sumpta

V 2

„op-

(1) Lemos, ubi supra. (2) Ex Relat. Peg. ad gener. Inquis. (3) Abrégé de l'histoire de Auxiliis. (4) Ex Hispano Latine datur.

(1) Ex Hispano Latine datur.

„ opportunitate, significabis. Datum Aranjués die
„ 8. Maii 1602. EGO REX.

D. Petrus Franquez,

CAPUT XXX.

Clemens VIII. Regis Catholici precibus inclinatus,
„ causam Doctorum Complutensium, ac Jesuitarum,
„ qui contra Pontificiam Auctoritatem attentaverant,
„ ad Hispaniensem Inquisitionem transmittit. Hæc
„ vero Pontificem iudic.

Quid, acceptis Catholici Regis Epistolis, ab
„ ejus Administris tractatum, gestumque sit,
„ ut, secundum Majestatis Sæ vota, Jesui-
„ tarum, ac Theologorum Complutensium causa ad
„ Hispaniensem Inquisitionem transmitteretur, non
„ alio potest luculentiori documento constare, quam
„ ex ipsa Excellentissimi Oratoris Narratione, qua
„ gestorum omnium feriem Regi suo retulit, die
„ 11. Junii 1602. Placuit eam, ex Hispano idio-
„ mate Latine redditam, subjungere ad uberiorem
„ historiæ fidem.

Narratio, ad Regem Hispaniæ cum adjunctis Re-
„ scriptis transmissa die 11. Junii 1602. ab
„ Ipsius in Romana Curia Oratore.

„ Die 25. Maii 1602. Romam pervenit Ma-
„ jestatis Sæ Cursor, litteras, sub die mensis ejus-
„ dem octava datas, afferens, occasione Monitorii,
„ quod Sanctitatis Sæ Nuntius nonnullis
„ Doctoribus Complutensibus denuntiaverat, ut
„ coram Sanctitate Sæ se fiterent.

„ Protinus die 26. habita cum Cardinali de
„ Avila, & Auditore Pegna deliberatione, quid
„ factum esset opus, post maturam collationem,
„ una cum Duce de Sessa, statutum est, Pegnam
„ Sanctitatem Suam prius aditurum, quam eam
„ Dux de Sessa alloqueretur; ac juxta juris api-
„ ces, & S. Officii formulas ostensurum, quam
„ juste Catholicus Rex postularet, ut illorum
„ Doctorum causa in Hispania cognosceretur,
„ una cum cæterorum Doctorum lite; qui ab
„ Inquisitione capti fuerant.

„ Die 27. (siquidem res antea tentari non
„ potuit) ad Sanctitatis Sæ audientiam admitti
„ petiit Auditor Pegna. At chiragra laborante
„ Summo Pontifice, ad Cardinalem Aldobrandi-
„ num commonendum missus est: cui Sæ Ma-
„ jestatis Epistolam, una cum Apostolici Nuntii
„ Monitorio, ac litterarum transumpto, dedit.
„ Inclinatam se præbuit Ill. Cardinalis ad officia
„ apud Sanctitatem Suam præstanda, juxta Ca-
„ tholicæ Majestatis vota.

„ Die 31. Maii, Pegnam ad colloquium vo-
„ cavit Sanctissimus Pater. Is confestim admis-
„ sus, rei gestæ feriem, qualis in Epistola Re-
„ gia continetur, exposuit: ac demum Sæ Ma-
„ jestatis nomine supplicavit, ut, non obstantem
„ Monitorii publicatione, causa Doctorum Com-
„ plutensium perinde in Hispania cognosceretur,
„ ac Jesuitarum, qui ab Inquisitione capti fue-
„ rant. Quam efficacissime, & nervosissime po-
„ tuit, Sanctitati Sæ demonstravit, quam mo-
„ leste ferret Catholicus Rex, extra ditionem
„ suam subditos castigari, qui verbo, vel facto
„ Sedem Apostolicam, aut sedentem in ea Pon-
„ tificem offendissent: qua in re propriæ Goro-
„ næ honorem in discrimen vocari, existimabat:
„ quandoquidem hæretici, cæterique malevoli
„ lætitiæ ansam inde erant arrepturi, ac etiam
„ forte dicturi, Hispaniarum Regem non atten-
„ dere, ut illatas Apostolicæ Sedi injurias Inqui-

„ sitores pro officio castigent, si ad hujusmodi
„ delicta coercenda, reos extra ipsius Regna de-
„ duci, necessum esset.

„ Præter rationes, expositas in ipsa Sæ Ma-
„ jestatis Epistola, (quam alia occasione pruden-
„ tissime scriptam, asseruit Sanctissimus Pater)
„ sequentes etiam addidit.

„ 1. Quod, cum jam satis delicti communio
„ inter Doctores illos, ac Religiosos carcere de-
„ tentos innotuisset, incongruum videretur, so-
„ lemni illa ad Curiam Romanam provocatione
„ eas obmurmurationes augere, quas Patres illi
„ occasione Controversiæ Divinorum Auxiliorum
„ disseminabant.

„ 2. Quod si in controversiis propositionibus
„ alterius cujuscunque Pontificis personam in
„ exemplum vocassent, non ita periculosum, ac
„ durum videretur, eos Romam vocari, ibique
„ plesti: at cum ipsam præsentis Pontificis Per-
„ sonam exempli loco posuerint, non deunt,
„ qui poenam, quantumvis levissimam, vindictæ
„ mori insidiam garriant, si eam Romæ decer-
„ ni, atque infligi, contigerit.

„ 3. Quod, cum Sæ Majestas Inquisitoribus
„ Apostolicis, Romanæ Sedis Administris, præ-
„ cepisset, ut summo jure in delinquentes ani-
„ madverterent, judicium ad ipsos remitti, con-
„ gruebat, cum potissimum poenas addere posset
„ Summus Pontifex, si officio suo Inquisitores
„ ipsi deessent.

„ His attente, ac benignissime auditis, respon-
„ dit Sanctitas Sæ, nusquam se vel Catholici
„ Regis famam obscurare, vel S. Officii auctori-
„ tatem imminuere voluisse, quam potius, qua-
„ vis data occasione, fovere, atque augere sata-
„ geret: quamquam, atenta Inquisitorum His-
„ panienfium oscitantia, reos Romam advocasset,
„ ad occultas machinationes detendas, quarum
„ in suspicionem facile venerat.

„ Addidit, cruciari se vehementius ob emer-
„ gentia in dies pericula, ex opinionum novita-
„ te enata, quas in rebus Theologicis, & ad
„ Catholicam Religionem spectantibus Patres So-
„ cietatis per universum Orbem palam, atque
„ aperte disseminabant. Earum nonnullas at-
„ tigit, quas inter ea fuit, quo mense mox elapso
„ Florentiæ contigit; ubi Jesuitarum unus præ-
„ dicavit, Confessionem Sacramentalem per Epi-
„ stolas edi posse: in quem propterea a S. Offi-
„ cii Commissario summo jure animadverti jusse-
„ rat.

„ Subjunxit, se molestissime ferre immodera-
„ tam Patrum illorum licentiam in scholis, ac
„ pulpitis; ubi, posthabita SS. Patrum, ac Do-
„ ctorum Ecclesiæ, maxime Augustini, & Tho-
„ mæ quacumque ratione, pro libro docent, at-
„ que adversus illos scribant, ac sentiunt, ne-
„ dum in materia Prædestinationis, & Gratiæ,
„ sed & in aliis bene multis.

„ Quantum attinet ad D. Thomam, ait, se
„ illis sapienter præcepisse, ut illum Scholarum Ma-
„ gistrum haberent; quod & illi se facturos, spo-
„ nderant. Quamquam tamen oppositum plane
„ agerent, nihilque aliud in suis ad illum Com-
„ mentariis molirentur, quam ut eum oppugna-
„ rent, aut, arrepta ex quoque verbo, male
„ detorto, occasione, fanaticas suas opiniones
„ confirmarent. Innuat autem, id totum ex ipso-
„ rum superbia ortum facile conjici; qua scilicet
„ præ cæteris omnibus, atque ipsis etiam Eccle-
„ siæ Doctoribus haberi volunt. Quæ de re illos
„ jam dudum objurgaverat in privata quadam
„ adhortatione, quam ad eos in proprio Palatio
„ annis elapsis habuerat, dum Romæ Congrega-
„ tionem generalem celebrarunt.

„ Osten-

„ Ostendit, velle se omnino, ut textus S.
„ Thomæ legatur, inquirendo duntaxat arcanam
„ ipsius mentem, missa tanta Commentariorum
„ farragine, quos paucis ab hinc annis Patres
„ Societatis ediderunt; in quibus nihil, nisi Do-
„ ctorem illum impugnare, ipsiusque famæ detra-
„ here, tentant.

„ Significavit, eos in hac potissimum Auxilio-
„ rum Controversia, uti multis in occasionibus
„ comprobatur est, vehementius obsecari. Quo-
„ circa Sanctitati Sæ, paucis ante diebus, se-
„ ptem circiter folia tradiderant, ubi infinita S.
„ Augustini loca, ad Moineæ defensionem extor-
„ ta, atque infideliter citata, notabantur, in qui-
„ bus vel nihil ad institutum, aut certe omnino
„ oppositum habet S. Doctor. Quod nonnisi pro-
„ crastinandi, defatigandi, ac deludendi intentio-
„ nem tentatum est.

„ Se porro gravius offensum demonstravit sum-
„ ma illa sollicitudine, & astutia, qua, ad insti-
„ tutum finem obtinendum, continuo machina-
„ bantur, præsertim in Hispania, ubi famam, &
„ auctoritatem obtinebant: Idque cause esse,
„ cur grave quoddam periculum oriturum, vete-
„ retur. Iis etenim artibus, & astutiis sua pro-
„ movebant, auram humanam, ac propriam uti-
„ litatem captabant, non sine animarum detri-
„ mento; utpote qui non tantum in speculativis,
„ sed & in moralibus (quod quidem bis repe-
„ dit) perverſe sentirent; quam ob causam San-
„ ctitatis Sæ indignationem concitassent.

„ A Viris fide dignis didicisse se, ait, sum-
„ mo in discrimine versari Hispaniam, & qui-
„ dem jam ab aliquot annis. Quippe cum Lin-
„ danus (qui Gregorii XIII. temporibus ex His-
„ pania ad hæc Curiam reversus est, quique
„ in Polemicis adversus hæreticos Controversiis
„ apprimè versatus erat) interrogatus, quid sibi
„ de Hispania Provinciis videretur, respondit
„ Viris gravibus, ac præsertim Cardinali Baro-
„ nio, qui tunc in minoribus constitutus erat,
„ Pelagianam hæresim in eas sensim introduci
„ innotuisse Sanctissimum Auditorem Pegna, ut Ba-
„ ronium ipsum interrogaret, facti veritatem pro-
„ baturus.

„ Is de causis moveri se, ait, ad remedium
„ omni sollicitudine adhibendum, summoque af-
„ fectu desiderare, ut in Hispania, nobilissima
„ Ecclesiæ Catholica parte, Inquisitores invigila-
„ rent, summoque jure in tot doctrinæ novitates
„ animadverterent, quo tandem eum in statum
„ doctrinæ revocaretur, in quo, ante Patrum
„ istorum, eorumque sequacium inventa, consti-
„ tuta erat; velleque se, ea de re Regem Ca-
„ tholicum per Epistolas admonere ob singula-
„ rem, quo in eum affectu ducitur. Si enim,
„ quæ Religionis sunt, eo pede pergant, nullam
„ sibi securitatem, & pacem in suis ditionibus
„ adpromittere poterit.

„ Tandem ad Doctorum Complutensium molitionem deveniens, inquit, ea se potissimum
„ ratione eos Romam citari jusse coram Inqui-
„ sitione generali, quod explorare vellet, num
„ ea Theſium machinatio negotiis Romæ tracta-
„ tis affinis esset. Quia cum Patres illi Concilii
„ generalis convocationem ad præsentium contro-
„ versiarum definitionem omnino necessariam ubi-
„ que passim in Hispania, & Italia conclama-
„ sent, eoque clamore universum Orbem percur-
„ rant; suspicari merito poterat, illos hujus-
„ modi theſibus vias parasse ad Apostolicam De-
„ finitionem, a Sua Majestate Catholica tam
„ ardentem efflagitam, eludendam. Idcirco sum-

„ ma cautela litteræ interceptiendæ videbantur, ut
„ pactiones omnes, atque machinationes detegi
„ possent.

„ His dictis, ad Sanctitatis Sæ pedes provo-
„ lutus D. Pegna gratias plurimas retulit pro
„ eximia sollicitudine, qua Catholicam Fidem
„ in Hispaniis fovere, ac promovere meditaba-
„ tur; promittitque, id se Regi Catholico relatu-
„ rum, ut & ipse grates rependeret.

„ Quod Inquisitores Hispanienses attinet, sub-
„ junxit Pegna, illos curam omnem, & indu-
„ striam adhibiuros, qualem a Romanis Inquisi-
„ toribus præsumere, ac sperare merito posset;
„ sic enim totius Senatus nomine Licentiatuſ Za-
„ mora ultimis suis Epistolis contestatus erat.
„ Ideo autem, inquit, in hæc Auxiliorum Con-
„ troversia ita blande se gesserunt, quia Sedes
„ Apostolica, erga quam singulari veneratione du-
„ cebantur, causam illam ad sese jam pridem ad-
„ vocaverat; postea vero licentiam dederat, ut
„ eo de argumento rursus in scholis ageretur;
„ quamquam Sanctitatis Sæ mandata, sinistra,
„ sed interim inculpata interpretatione, excepta
„ fuissent. Cæterum eos in posterum inajori sol-
„ licitudinæ acturos, tum agnita Sanctitatis Sæ
„ voluntate, tum perceptis periculis inde secutis:
„ nec dubitandum omnino, quin eam omnem sol-
„ licitudinem, & curam Inquisitores adhibitori
„ sint, quæ damnis refarciendis abunde sufficiat.

„ Reposuit Sanctissimus Pontifex: Faxit Deus,
„ ut ita se gerant, noverintque, quo tendant pro-
„ positiones illæ duæ Compluti propugnata.

„ Attendens D. Pegna, Sanctitatem Suam ita
„ confidenter secum agere, arrepta occasione, in-
„ quit: Consilium Inquisitionis Hispaniæ sapius
„ per epistolas monui nonnullis de rebus: ob ve-
„ nationem nihilominus, qua erga Sanctitatis
„ Vestre Personam & Auctoritatem feror, nul-
„ quam nomen ejus interposui, aut eam cum In-
„ quisitoribus obligare ausum sum. Hanc si mihi
„ in præsentia veniam faciat; jam ipsius nomine
„ scribam, ut Vestram ipsi mentem aperiam:
„ Hoc quippe plurimum profuturum, existimo.

„ Hanc illi veniam fecit Beatissimus Pater,
„ data larga benedictione.

„ Colloquium humiliter petitione absolvit, ut ex-
„ spectatam ab universo Orbe Definitionem Apo-
„ stolicam maturaret, Regique Catholici votis
„ satisfaceret.

„ Ad utrumque respondit Sanctitas Sæ. Ad
„ primum inquit, se in id unum incumbere; li-
„ broſque, ac quærationes, eo de argumento
„ elaboratos, & super viciniori tabula apertos,
„ intento digito ostendit. Ad alterum ait, se
„ Duci de Sessa in prima audientia mentem suam
„ aperturum.

„ Quare die 8. Junii ad audientiam Sanctitatis
„ Sæ admissus fuit, in qua, post præmissam iis-
„ dem de rebus utile colloquium, extremam sen-
„ tentiam obtinuit: nimirum ut Doctores Ca-
„ mera, & Villegas in Hispania remanerent, il-
„ lius Inquisitionis judicium excepturi, promer-
„ itaque delicto poenas daturi: ea nihilominus
„ lege, ut Sanctitati Sæ referberentur, quæcum-
„ que ea in causa tractarentur, & agerentur.

„ Spe sua delusus est optimus Pontifex, Magnifi-
„ cis Oratoris, & Pegnae promissis, Regio licet no-
„ mine datis, Inquisitionis Hispaniæ facta minime
„ responderunt. Nequid enim in Hispaniam
„ scripta pervenerant, cum Generalis Inquisitor,
„ precibus undequaque lacessitus, immo ab ipſo Re-
„ ge per transmissam schedulam rogatus, Jesuitas,
„ carcere detentos, libertate donavit, nulla delicti
„ soluta poena. (1)

Vix

Vix dici queat, quam offenso, & exulcerato animo imperate rei nuntium exceperit Clemens VIII. Pegnae & vestigio vocari, iussit, illicque verbis est allocutus: *Regis tui nomine sepius spondidisti, Hispanos Inquisitores officio, ac debito non desuturos. Ecce quo pacto promissis facta respondeant. Jam jam carcere soluti sunt Jesuitæ Complutenses, in quas tam specioso iustitia zelo manus iniecerant. Istud sane est, quod mihi Lindanus ominatus erat, rem scilicet totam in fumam abituram. Id Jesuitarum arte machinatum, minime dubito, utpote qui a Rege Catholico sbedulam commendatitiam extorsissent, secundum quam in libertatem asserti sunt. Inquisitorum erat delicti gravitatem Regi ostendere: at maluerunt officio, Religioni, propriæque famæ deesse, quam humano favori. Hec ab eis gesta, non miror, cum etiam didicerim, Viros, alias in heresim prolapsos, numerata pecunia, ad Inquisitionis Hispaniensis ministerium admissos esse: quorum aliqui supra octo milia ducatum aureorum numerarunt.*

Et sermone adeo percussus est Clarissimus Pegna, ut eum pene verba desererent. Respondit subdubitando, nihil se, aut Excellentissimum Ducem ea de re per epistolas accepisse, nec se satis capere posse, qua forte, post absolutissimas Regis Epistolas, Inquisitores Hispani Jesuitas carcere solvissent, ac ipse etiam Rex pro eorum solutione supplicasset. At officiosam excusationem retudit Pontifex, qui totius rei gesta seriem ex Nuntii sui litteris certo noverat. *Utinam, inquit, quæ certissima noti, falsa forent.*

Novæ consilia meditabatur Romana Curia, ut & Novatorum audaciam, & fautorum petulantiam cohiberet, nisi Regem ipsum incaute circumventum, ac præsertim negotio implicum vidisset. Dilata igitur in opportunum tempus delinquentium pena, studium omne in errorum damnationem convertit. Geminas propositiones ad Romanæ Inquisitionis iudicium remisit; ubi post diuturnum examen, velut erroneæ, schismaticæ, scandalosæ, proscripse sunt, die 20. Julii 1602. Selectos etiam Romanæ Curie Theologos delegavit, qui varias Complutensis Academice theses, ab Apostolico Nuntio Romanæ transmissas, examinant. In quibus duæ præsertim propositiones die 23. Julii notatæ sunt, quæ totius Fidei Catholice fundamentum, Sedisque Apostolicæ Auctoritatem subvertere videbantur. Prior erat: *Revelatio Mysteriorum fidei, facta Ecclesie, non est necessarium medium, ut certo & infallibiliter cognoscantur; sed prudentialis notitia sufficit.* Altera erat: *Successio Petri Apostoli in Episcopatu Romano iure Divino non constat; est probabilissimum sit, Christum præcepisse Petro eam fieri.*

Hinc viderint omnes, quam deformata esset ætate illa Complutensis Academice facies ob eas solummodo novitates, quarum defensionem incaute susceperat: ad malum enim malæ res se agglutinant. Noverint quoque probati Iudices, quo loco haberi debeat impensum ab ea Molinianis opinionibus patrocinium; quod tantis machinationibus, & erroribus obducere necesse fuit.

Eandem-ne, an affinem alteram historiam enarraverit Petrus Matthæus, satis nescio; dum libro 7. Historiæ septem annorum pacis, Narratione 4. ita scribit: *Jesuita quidam questionem movit admodum audacem, in universa Ecclesia Catholica, ac Romæ periculossimam: videlicet non esse Fidei dogma, Clementem VIII. esse verum, ac legitimum successorem S. Petri. Is in carcerem conjectus fuit; ac nisi Hispaniarum Orator operam, & industriam interposuisset, deterius ei aliquid contigisset. Idem referunt Alexander Ziliolus, lib. 3. Historiarum*

memorabilium; & Clarissimus Thuanus lib. 131. Historiarum sui temporis. Certe si historiam alteram, alicubi, aut fortassis etiam Roma habitam, narant, bene est. At si eandem retulere, in eo saltem aberrarunt, quod Hispaniarum Oratorem pro Rei liberatione operam, & industriam interposuisse, dixerint; cum suas ille duntaxat posuisset operas, ut in Hispaniarum Inquisitione causa tractaretur, non ut Rei carcere solverentur.

CAPUT XXXI.

Novæ Predicatoris inter, & Jesuitas de Pontificia Auctoritate lis oritur. Isti propositiones, Compluti propagatas, contrariis thesibus retrahant; sed fide.

DUm componendis Jesuitarum negotiis incumberet Catholici Regis Orator, novam illi Prædicatoribus litem intentabant. Bannefium impugnatæ Pontificie Auctoritatis reum egit Michael Vasques de Padilla: quasi qui propagatam a Jesuitis Complutensibus propositionem suis primum Commentariis defendisset. Coram Inquisitione Marritensi, & Nuntio Apostolico primum expoſtulavit: sed actione submotus, ac Cardinalem Baronium scripsit die 7. Maii; transmissaque lacinia, ubi eundem errorem ab eo traditum præferebat, (1) vehementius querebatur, minus æque fecum agi, cum, ovariantibus, ac ridentibus Prædicatoribus, Jesuitæ detinerentur. Idcirco Eminentissimi Viri ad Clementem VIII. officia, totius Societatis nomine, precabatur; ut, omni personarum detecta, ac discrimine remoto, æque in quoslibet delinquentes animadverti provideret. Admodum, inquit in Epistola sua, (2) mihi displicuit, quod in nostratum aliquo ea inventa fuerit propositio, quæ merito Sanctitatis Sææ aures offendit: videlicet, Non esse de fide, hunc numero hominem esse Summum Pontificem: quamquam Patres illi Complutenses Sanctitatis Sææ Personam in exemplum non citaverint, uti Doctores illi, quorum propositiones Romanæ transmissæ fuerant. Ea in parte Sanctitatem Suam duntaxat Societas rogat, ut Nuntio suo, aut Inquisitionis Consilio, æquo jure cum omnibus agi, jubeat. Quandoquidem Patres Prædicatoris, & alii, longe ante nostratos, Compluti, ac Salmanticae hujus propositionis auctores fuerunt: præsertim Magister Bannes, cujus verba ad Illustrissimam Dominationem Vestram transmitti, sperans, fore ut remedium afferri curet. Non enim æquum existimabit Illustrissima Dominatione Vestra, tam disparem Reorum sortem accidisse, ut aliis ridentibus, & ovariantibus, ceteri carcere detineantur; cum potissimum Bannes, & sui hanc primum in Hispanias doctrinam invexerint, nihilque in eos actum, gestumve sit post solemnem denuntiationem, coram Inquisitione generali, & Nuntio Apostolico factam. Doctrinam minime probo: optarem etiam, nullum e Societate esse, qui eam non aperte damnaret: at cum perversa doctrina sit, in defensores æquo jure animadvertendum est, ne, quibusdam ridentibus, & ovariantibus, ceteri castigentur.

Integrum Bannefii locum consuluit Eminentissimus Cardinalis, priusquam ea de re cum Clemente VIII. conferret. Non illi diuturna meditatione opus fuit, ut Auctorem illum a Jesuitarum assertione remotissimum probaret. Illi enim simpliciter, & absolute propugnarent, non esse

de fide, hanc determinatam personam esse Summum Pontificem: Bannefium autem eo ipso in loco, ad quem annuli provocabant, duntaxat docet, *Id non esse de fide per se primo, & immediate revelatum: ceteroquin non negat, id esse de fide per se secundo, ut Scholasticus loquitur.* Unde concludit, illum, qui id inficiaretur, nedum de hæresi suspectum, sed ut hæreticum merito damnatum iri: *Nihilominus, inquit, omnibus supradictis non obstantibus, valde temerarium esset, & scandalosum, si postquam Ecclesia acceptavit aliquem, ut Summum Pontificem, negaret aliquis, illum esse Summum Pontificem verum, nisi ostenderet, illum non esse baptizatum, aut non esse Virum: Alioquin non solum esset vehementer suspectus de hæresi, sed etiam ut hæreticus merito puniretur.*

Ea igitur adhibita provisione, qua orthodoxus Bannefii sensus in aperto positus fuit, non ultra adendum Pontificem, judicavit, quod Vasquesii supplicatio facti veritate minime niteretur. Censuit etiam Vir æquissimus, bono animo ferendum, si quid forte Bannefium minus conditum eo loci docuisset: quippe qui nullam unquam sinistra in Pontificem voluntatis suspicionem dederat, eoque rerum statu constitutus non erat, ut irritandi iudicii Pontificii animo quidquam ab illo scriptum, credi posset; uti de Jesuitis suspicari facile erat.

Cæterum Clemens VIII., rei gesta aliunde conscius, Bannefii Commentarios asseri voluit, ut ejus sensum per sese expendere. Vidit itaque, legit, ac probavit extremam controversæ difficultatis resolutionem. Elapsisque diebus aliquot, Baronium suo nomine moneri iussit, ne Vasquesium responsione dignaretur. Suspicio etenim non levis erat, illum hanc Epistolam Eminentissimo Viro dedisse, ut officiosam aliquam responsionem extorqueret, quam gregalibus, & amicis ad lætantiam ostentaret. Factum ita retulit Clarissimus Pegna in sua ad Hispaniensem Inquisitionem Epistola, die 11. Junii. (1) Porro cum ea Epistola eo consilio data fuisset, ut Summum Pontificem commoverent, aliquodve præfati Cardinalis responsum extorquerent, quod in Hispaniis ostentarent, eaque arte irrogata saltem injurie suspitionem ingererent; illico monitus est Cardinalis, quid vos esset opus, ut periculum fugeret. Sua etiam Sanctitatis nomine iussus fuit, ne quidquam rescriberet. Bannefii porro locus, ubi asserit propositionis sensum aperit, Pontifici exhibitus est; qui ultimam Auctoris definitionem gratam habuit.

Litis exitum cum primum exceperit Dominicus Bannef, quasi parta victoria, triumphavit. Solemnes Disputationes ad Pontificie Auctoritatis defensionem habuit adversus Compluteasum aberrationem: Ubi Commentariorum suorum doctrinam aliquantulum explicatorem, veluti probatum erroris antidotum, dedit. Theses, eo Prælide, defendit Salmantica F. Ambrosius de S. Stephano die 2. Julii, in quarum tertia assertione sic legebatur: *Hinc singularem hominem, v. g. Clementem VIII. esse vere Christii Vicarium, tametsi non per se primo, & immediate insula fides credat, tamen per se secundo tam firmum assensum efficit, ut qui id negaverit, vel in dubium prædicæ vertit, non solum ut valde temerarius, & scandalosus, sed ut suspectus de hæresi, immo ut errans contra fidem, merito puniretur.* Tota pene convent Salmanticensis Academia, adfuit Pontificis Nuntius, Episcopus, plurimæque Principum, ac nobilium multitudo,

magna concertationis expectatione suspenſa. At Disputationi se negarunt Patres Societatis, ne graviore periculo committerent, si Sociorum partes tueri vellent. Tantam enim indictæ Disputationi famam fecerat Bannefii nomen, rerumque Compluti gestarum recens memoria, ut nisi retractationem intra paucos dies se daturus, promississent, publicæ indignationis sensus non evasissent.

Bannefii zelo obsecundavit Franciscus Zamel, Ordinis Redemptionis Præpositus Generalis, edito tractatu, De inconcussa Clementis VIII. Papæ electione, & certitudine infallibili ipsius Pontificatus: quem cum anno sequenti legisset idem Pontifex, tanti fecit, ut dato Brevis Apostolico, die decima Martii, summam illi eruditionem, ac pietatem gratulatus sit, quibus quorundam hominum, novitates amantium parum consideratas, ne quid gravius diceret, opinionem confutaverat, & veritatem in re pergravi asseruerat.

Breve Pontificium, inter Clarissimi Pegnæ, & Thomæ de Lemos adversaria inventum, datus ex integro, quod nusquam illud typis editum videre, contigerit.

Dilecto filio FRANCISCO ZUMEL, Ordinis B. Mariæ de Mercede, Sacre Theologia Magistro.

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTE FILI, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Et jam antea nobis nota erat virtus tua, & insignis doctrina, & quod capus est, ardor Catholica Fidei tuenda, & devotio erga Nos, & erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem, in qua nos humiles, & indigni, auctore tamen Spiritu Sancto, præsidemus: quod etiam venerabilis Frater Dominicus, Archiepiscopus Sipontinus, noster in Hispania Apostolicus Nuntius, cumulate, & multa cum tui laude restatus est. Sed hæc omnia manifeste agnovimus, & perspeximus ex tuo Commentario, quem & tuo zelo incensus, & ejusdem Nuntii nostri corroborante permotus, nuper scripsisti, ut quorundam hominum, novitates amantium parum consideratas, ne quid gravius dicamus, opinionem confutares, & veritatem in re pergravi assereres, & roborares. Laudamus, Fili, pietatem tuam, & te merito in Domino commendamus; quod scientiam, quam a Patre luminum accepisti, totam confers, & adhibes ad adificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia: & te ipsa ostendis, te non solum scientiam habere, que sepe inflat, sed etiam charitatem, que semper edificat. Scito igitur, laborem hunc tuum, & eruditam lucubrationem pergratam nobis fuisse. Idque tibi his quoque Litteris nostris significare placuit, ut scias, te a nobis amari. Atque, ut tanto studiosius, & ardentius pro virili tua labore in vinea domini Sabaoth, & talenta, a magno Patrefamilias tibi credita, fideliter, & fructuose negotieris, tibi etiam nostram Apostolicam Benedictionem benigne impertimur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Martii 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Sylvius ANTONIANUS, Cardinalis.

Quid hoc in discrimine Jesuitæ? Solemni palinodia consulendum sibi, judicantur: ea nihilominus arte, ut Adversarios simul talione morderent, novique criminis reos agerent. Solemnes Disputationes indixere Vallioli die 10. Julii.

Respon-

(1) Y porque esta carta venia encaminada para indignar a Su Santidad, y hacer alguna respuesta del dicho Cardenal, para poderla mostrar en Espanna, y con ella engendrar alomenos sospecha de injusticia: luego se advirtio al dicho Cardenal, lo que convenia, para huir este inconveniente. Su Santidad hizo advertirlo, que no se molestase en responderle. En respeto de Bannes, a quel lugar se mostro a Su Santidad, donde califica la proposition, y Su Santidad quedo satisfecho del modo, conque Bannes concluye.

(1) Ex Commentar. ad 2. 2. q. 1. art. dub. 2. ad 2. arg. (2) Exstat Orig. in Arch. Præd.

Respondit Alphonsus Martines: Arbitrari fedit Michael Vasques de Padilla. In ultima vero Theſum Concluſione, in extremam de Summi Pontificis certitudine, & indeficientia opinionem abeuntes, Banneſium oblique petebant; quaſi qui nimis jeune hoc de argumento ſenſiſſet: *Eccleſiæ caput*, inquebant, eſſe Romanum Pontificem, pro tempore exiſtente, nunc vero S. D. N. Clementem VIII., affirmamus: quem & de fide eſt errare non poſſe in iis, que ad univerſalis Eccleſiæ fidem, & mores pertinent: Et de fide ſimpliciter eſſe, & immediate, (quod alii vocant per ſe primo) verum Petri ſucceſſorem, & legitimum Chriſti Vicarium, ſuſtinemus. Hoc enim magis pium, & rationi, & fidei conſonum eſt. Neque vero ſatiſſeri conſonum ab iis, qui dicentes, hoc eſſe ſecundario de fide, concedunt, poſſe illi ſubſeſſe falſum; cum iis, que quovis modo de fide ſunt, nulla omnino ſubſeſſe falſitas poſſit.

Quam ſincera, quam ingenua fuerit retractatio probavit eventus. Sublato enim Clemente VIII., quo tempore Paulum V. finiendæ Controverſiæ De Auxiliis paratiſſimum ſentiebant, eaſdem in illum artes inſtauraverunt. Theſes publicæ Diſputationi paratæ ſunt Barcinone die 4. Januarii 1606. probante, ac ſubſcribente Raphaele Gueran e Societate Jeſu; in quarum ſeptima Concluſione ſic habebantur: *De fide debemus credere, Clementem VIII. fuiſſe ritæ electum, ac verum Pontificem; certitudine vero morali, Paulum V. eſſe verum Pontificem.* Injuriam gravitatem augebat ſtudioſa illa Clementem inter, & Paulum appoſita diſtinctio; quaſi quid in uno, quam in altero minus eſſet. Sed eam diſtinguendi neceſſitatem induxerant rerum vices. Quid enim Societati a Clemente VIII. tunc temporis timendum erat, ut ejus Pontificatum in dubium vertere, neceſſe foret? At multum erat, quod a Paulo V. pertimeſceret; quem ad ſerendam doctrinam ſuæ damnationem paratiſſimum agnoſcebat. Ut ut eſt, palam coram Epifcopo interceſſerunt Prædicatores Barcinonenſes, ne publice defenderentur, ob irrogatam Paulo V. gravem injuriam: hinc effectum eſt, ut novi diſſidii ſemina, quam primum oppreſſa, vix ad Pontificis aures ſub finem anni pervenerint.

Non abſimile quidpiam anno 1614. tentatum

(1) Exiſtant in Archiv. Ord. Præd.

FINIS LIBRI SECUNDI.

eſt, quo tempore Rex Catholicus, ad nova ſopienda diſſidia, Congregationum iſtarum ſancita judicia ſolemniter promulgari, denuo ſupplicabat. Solemnes Diſputationes Granatæ habuerat F. Hyacinthus de Soſes, Ord. Prædicatorum die 16. Junii, in quibus aſſertionem iſtam propugnauerat: *De fide eſt per ſe primo, quod ille numero homo, qui modo feliciter gubernat noſtram Eccleſiam, ſit ſummus, & verus Pontifex.* Extremam ille, uti vides, opinionem induerat, quam ante annos aliquot Jeſuitæ Valliſoletani publicis Theſibus propugnauerant, ut Banneſii ſententiam, apud Theologos receptiſſimam, vellicarent. Quidni ergo tranſugam militem expanſis ulnis Societas exceperit? At mutatus illi erat cum annis animus, novique rerum eventus novos ſenſus attulerant. Diſplicuit jam aperta nimis, atque extrema de certitudine Pontificatus opinio, quam antea ſtudioſe defendebant: quod videlicet eo tempore imminens aliquid Sedis Apoſtolicæ, iudicium vererentur. Privatos Inquiſitores occuparunt, ne Theſes propugnari ſinerent, ſuaque apud illos auctoritate, & gratia obtinuerent, ne reſiſta defenderentur. Cauſam ad Summi Pontificis Tribunal detulit Hyacinthus Soſes, magnam ſe ex illa aſſertione gloriam reportaturum, ſperans. Dedit prolixas admodum Epistolæ die 18. Julii, ex quibus rei geſtæ ſeriem diſcimus. (1) In eundem ſenſum, atque in eadem pene verba ad Generalem in Hiſpania fidei Quæſitorem ſcriptis hac ipſa die, patrocinium in ſubjectos Inquiſitores rogans.

Quid reſponſum, quidve hac occasione ſubinde ſtatutum, nuſquam lego. Hinc tamen æqui rerum æſtimatores intelligent, Societatem eo duntaxat ſine invidioſas illas de Pontificatus certitudine opiniones ea rerum tempeſtate ſuſcitari, & que veritatem Sedis Apoſtolicæ definitiones eluderet: nec eas interdum alio animo revocari, quam ut temporis ferviret, & publicam bonorum omnium indignationem averteret.

Interea vero Clemens VIII., omni arte, & machinatione ſuperior, ſtabat in incepto, firmumque ferendi iudicii propoſitum tenebat; quanquam importunis Jeſuitarum querelis laceſſitus, novam tandem cauſam cognitionem ediderit, que ſequentis Libri Argumentum erit.



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ LIBERTERTIUS.

Quo quinta Cauſæ Cognitio, ab anno 1602. ad annum 1605. coram Clemente VIII., & Eminentiffimis Cardinalibus, Generalibus Inquiſitoribus, aliisque Cenſoribus deputatis habita, narratur.

CAPUT PRIMUM.

Novis Societatis præcipuis inclinatus Clemens VIII. quintum Examen, coram Sanctitate Sua habendum, edicit.



Um Clementem VIII., toto anno ſuperiori tentatis artibus, illatiquæ Pontificiæ Auctoritati injuriis, minime terribus experirentur Molina Vindices, quin potius eum ad ſerendam Definitionem Apoſtolicam omnino propenſum agnoſcerent; tentarunt ſub hujus anni principium, num illum ſaltem, novo petito examine, defatigare, novaque moras ducere poſſent. Varios libellos ſupplices menſe Januarii dederunt, quibus novi examinis neceſſitatem, attenta præſertim priorum Cenſorum paucitate, ſuadere nitebantur. Cenſores etiam levitatis inculſabant, quaſi qui centum circiter Molina propoſitiones in primo Examine notaſſent; in cæteris vero nonniſi viginti conſiſſent: eaque arte Molina ex parte abſolutum innuebant.

Criminationis hujus, quam nonnulli etiam Scriptores temere refricarunt, (1) vanitatem dignoſcet, quiſquis Cenſuras omnes mutuo contulerit. Nulla enim Molina propoſitio in priori Examine damnata eſt, que in poſterioribus admiſſa ſit; ſed varia duntaxat CONCORDIÆ loca, in eodem errore ſtatuentes conſpirantia, ad certas dogmaticas propoſitiones redacta ſunt. Unde effectum eſt, ut centum plus minus Auctoris hujus contextus, in prima Cenſura notati, ad viginti propoſitiones, ad quas firmandas, ſtatuentesque collimabant, compendio revocati ſint; uti plenius ſuo loco diximus. (2)

Serry Tom. I.

(1) Ripald. tom. 2. diſp. 113. Quæſt. Auctor quaſt. 1. cap. 2. (2) Lib. 2. c. 12. (3) Hæna de Scient. Med. pro. 1.

Observatione digniora ſunt, quæ libellis ſuis ſupplicibus expoſuit Gregorius de Valentia, & Ferdinandus Baſtida. (3) Prior enim memoratis Romanorum Cenſorum iudiciis, ſuperioribus annis adverſum Molina CONCORDIAM pronuntiatis, tria ſibi ſumebat demonſtranda. 1. Res, in quaſtionem vocatas, dubias eſſe, & inter Theologos controverſas. 2. Non congruere, ut præſens Controverſia definiretur. 3. Neceſſarium videri, ut Molina loquendi modi nova editione caſtigarentur: *Juſſu Sanctitatis Veſtræ*, inquebat, *deputentur aliqui Theologi, qui additis in modo loquendi Molina, aut detractis iis, que opportuna videbuntur, ad tollendam omnem offenſionem, parent novam librorum Molina editionem, cui præmittatur Præſatio, ex qua lectoribus conſtet, eam ſolam editionem impoſterum habendam pro conſentanea menti Auctoris ipſius: ut ex iis, que de ſua ſententia, & merito ante mortem per varias occaſiones expoſuit, intellegi poſſit.* Ex quibus obiter dignoſcere eſt, quantum propriæ cauſæ meritis diſſiderent, qui nec Controverſiam finiiri volebant, nec Molina inmendatum dimittendum fatebantur.

Alter diſſeminatos adverſus Societatem rumores diſſipandos aggrediebatur. 1. erat, de nimia in Molina vindicando pertinacia. 2. De novis in dies oblatiſ petitionibus. 3. De imprudenti, & indiſcretio rerum ſuarum ſtudio, & affectu. 4. De audaciori Cenſorum Romanorum deſpicatione. 5. De quaſtione, & affectatis dilationibus. 6. De ſuſcitatis ex inobediencia rumoribus, ac querelis. 7. De contempta S. Patrum, ac præſertim Auguſtini auctoritate. Quapropter ſuo, totiuſque Societatis nomine rogabat, ut nova Cauſæ cognitio haberetur; in qua S. Auguſtini ſententia de controverſis opinionibus publica diſputatione expenderetur.

Eam publice diſputandi pruriginem anno ſuperio-

X

rio-